Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

eternorum. ut tertium aliquid iam quaeramus quo trinitas impleatur. sed in tota natura mentis
ita trinitatem reperiri oportet. ut si desit actio temporalium cui operi necessarium
sit adiutorium propter quod ad haec inferiora administranda derivetur aliquid
mentis: in una nusquam dispertita mente trinitas inveniatur. et facta iam ista
distributione in eo solo quod ad contemplationem pertinet eternorum non solum trinitas
sed etiam imago dei. in hoc autem quod derivatum est in actione temporalium etiam
si trinitas possit non tamen imago dei possit inveniri; De opinione eorum qui coniugio
masculi et feminę et eorum prole divinam comparant trinitatem.

.V. PROINDE non mihi videntur probabilem afferre sententiam qui sic arbitrantur imaginis
dei trinitatem in tribus personis quod attinet ad humanam naturam posse
reperiri. ut in coniugio masculi et feminę atque in eorum prole compleatur.
quod quasi vir ipse patris personam intimet filii vero quod de illo ita processit ut nasce
retur. atque ita tertiam personam velut spiritum dicunt esse mulierem. quae ita de
viro processit ut non ipsa esset filius aut filia quamvis ea concipiente proles nasce
retur. Dixit enim dominus de spiritu sancto quod a patre procedat et tamen filius non est. In huius
igitur opinionis errore hoc solum probabiliter affertur quod in origine factę feminę
secundum sanctę scripturę fidem satis ostenditur non omne quod de aliqua persona ita ex
istit ut personam alteram faciat filium posse dici: quandoquidem de viri persona
extitit persona mulieris nec tamen eius filia dicta est. Cetera sane ita sunt ab
surda immo vero ita falsa ut facillime redarguantur. Omitto enim quale
sit spiritum sanctum matrem filii dei putare et coniugem patris. fortassis quippe
respondeatur haec in carnalibus habere offensionem dum corporei conceptus partusque
cogitantur. quamquam et haec ipsa castissime cogitent quibus mundis omnia
munda sunt. immundis autem et infidelibus quorum polluta sunt et mens et conscientia
ita nichil est mundum ut quosdam eorum etiam de virgine secundum carnem natus
Christus offendat: sed tamen in spiritalibus illis summis ubi non est aliquid viola
bile aut corruptibile nec natum ex tempore nec ex informi for
matum